



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 22. Edictum pro confirmatione ad Parisiensem Curiam transmissum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.
A C. 1563.

§. XXI.

Archithalassus in Normaniam profectus hanc pacem præpediturus.

Beza l. c.
Thu. l. 35.

Jamjam ad primos hujus pacis rumores Colinius Maris Præfectus illam præpediturus accurrebat, cum autem se adventante rem penitus confectam intelligeret, saltem illius executionem impedire adlaborabat: verum frustra nea erant illius molimina; quippe edictum jamjam ad Parisiensem Senatam fuerat transmissum, ut ab eo ratum haberetur: quoniam vero ex Curia Patribus potissimi edictum, quo sectam jure proscriptam in regno profitendi libertas permittitur, ad acta referre tergiversarentur, tandem operi manum admoveere omnino renuebant.

§. XXII.

Edictum pro confirmatione ad Parisiensem Curiam transmissum.

Hoc unicum Patribus consilium tuto arripiendum videbatur, ut hoc edictum Regiis Proceribus tradi decernerent: verum hæc agendi ratio edicti confirmationem magis difficilem reddebat: Rex quoque hæc obstacula prospexerat, quocirca, ut remedium opponeret, Borbonium, & Montpensierium
Duces

Duces adesse jubebat, qui etiam die vigesima Senatum acceperunt, comitante eos Montmorentio Marefcallo Parisiensi Governatore, qui Curia Patres hortaretur, ut edictum in tabulas referre vellent. Nec prosper conatui ablutit eventus, quamvis Provinciana non minus, ac Tolofana Curia diu resisterent, tandem vero & illae non minus, ac reliquae Regis mandato obtemperarunt.

Saecul. XVI.
A.C. 1563.

§. XXIII.

Calvinistae Aurelia excedentes.

Cum ergo vi pacis initae Calvinii Sectatores Aurelianensi urbe excedere cogentur, hinc illi quoque, cum publice in Ecclesia ad Sanctam Crucem ritu suo Coenam prius celebrassent, die vigesima octava Martii illinc discesserunt. Sub idem tempus Germani Equites soluto militiae sacramento dimittebantur, eos autem deducendi cura Porciano Principi demandata erat: cum autem aes militare promissum nondum eis fuisset numeratum, diuturnam in Campania moram trahebant, quam regionem misere depopulati sunt, donec eis debitum solveretur stipendium.

N 5

§. XXIV.